

DE  
**MORBIS SIMULATIS.**

---

**DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA**

QUAM

ANNUENTE FACULTATE MEDICA

PRO

DOCTORATUS LAUREA CONSEQUENDA

IN

REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA

EDIDIT

*Carolus Eduardus Heim.*

Castovia - Abaujváriensis.

---

Theses adnexae publice defendentur in palatio universitatis  
die 8-a Julii 1836.

**Pestini,**

Cypis Ludovici Landerer de Fiskis

Ingenis acumen singulare requiritur in variis quaestionibus forensibus dilucidandis praesertim in morbis simulatis et dissimulatis eruendis.

Cart. Sprengel. Inst. Med. for.

# **Patri optimo**



gratissimus filius  
**.actor.**

## De morbis simulatis in genere.

---

§. 1. **M**orbi simulati (praetexti, ficti; Tettetett betegségek; vorgeschützte, verstellte, erdichtete Krankheiten; Malatie simulate; Les maladies simulées ou feintes); dicuntur illi, quibus homines ad certos fines assequendos se adfligi praetendunt, quin eos experiantur, signaque morbi imitantur ita, ut alios ad credendum permoveant.

Ars fingendi morbos semper et ubique existit, existitque, et videtur inventum sexus foeminei esse; nam volvendo historias inde a Rachele filia Labani, patrem idola quaerentem deludente, usque ad nostra tempora, nullum reperies aevum, non regnum, non aetatem, sexum aut statum, in quo morbi non simulabantur.

§. 2. Motiva homines ad simulandum morbos permoventia, generatim fere ad auri cupidinem, ambitionem, odium, timorem, otium, amorem et fanaticum reduci possunt. Prae ceteris autem morbum fingere solent.

1. **O**fficiales omnis status, ut qui laborum pertaesi, ab occupatione odiosa pro tempore liberentur, aut in seriem quiescentium, cum annua pensione recipiantur;

2. **Q**ui curatoris, tutoris aut aliud publicum officium suscipere recusant.

3. **J**uvenes servitio militari se subtrahere cupientes, aut ad exactorationem consequendam.

4. Homines per alios laesi, in quantum noxam sibi illatam augent, ut iudex mulctam determiuet majorem.

5. Mendici, ad interpellandam misericordiam proximorum, vel ut ad publica pauperum instituta recipi possint.

6. Malevoli, qui ad rationem reddendam criminis patritti, coram iudice comparere abhorrent; aut qui ad supplicium vel poenam damnantur; vel lucraudarum induciarum gratia.

7. Fanatici et cum medico colludentes deceptores, morbos simulant, ut de miraculosa in illis contingente cura gloriari possint.

8. Foeminae viros in arte simulandi morbos omnino multum superantes, faciunt id, partim ex vindictae studio, zelotypia; partim ex astutia — medicum non satis attentum eludere volentes; partim lascivae — ad seducendos medicos juniores; vel non maritatae aut ueogauae — ad metiendum probandumque gradum amoris et compassionis viri amati.

§. 3. E quibus compertum habemus maxime interesse reipublicae, ut eiusmodi simulatio, egoismo et immoralitati hominum favens, detegatur. Quare in casibus dubiis, medici publici per magistratum provocati officio incumbit, veritatem eruendo, postulatis iudicis satisfacere. „Quod officium, ut ait C. Sprengel (Inst. med. for. pag. 125) quantas habeat difficultates, brevibus dici vix potest. Vafrities enim tanta interdum est nequissimorum, ut artibus pravis etiam providum medicum circumveniant.“ Medicus igitur inquirens, ea, quam arduum hoc medicinae forensis objectum expostulat, ingenii et mentis sagacitate a natura instructus sit, oportet. Mente a praesudiciis libera ornatus, affabili et mansueto agendi modo fiduciam in aegris excitare conetur, et semioticae ac pathologiae cognitionibus imbutus, familiaria sibi reddat imprimis scripta omnis aevi medicorum, de hac medicinae forensis sectione tractantium.

§. 4. Principia generalia, quae medicus forensis ad veritatem detegendam potissimum sequi debet, haec ferre sunt:

1. Aegrum humane accedens, compassionem simulando, suspicionem suam diligentissime dissimulet, aegrumque convincat, se nihil aliud quam morbi veri causas, sedem et naturam cognoscere velle.

2. Aeger morbi originem, successivam eius evolutionem et causam excitantem iteratim enarret, huiusque responsa tam inter se, quam cum relationibus hominum cum eo viventium comparanda erunt; hic saepe contradictiones involvuntur.

3. Inquirat medicus in circumstantias aegri, in characterem moralem et animi dotes eius; an motiva morbum simulandi habeat?

4. Determinari debet, num aetas, sexus, habitus externus, temperamentum et vitae genus personae suspectae, morbo praetexto conveniant nec ne?

5. Examinanda est conditio praesens totius corporis, ut pateat, an symptomata omnia morbum praetensum comitari solita adsint nec ne? ex concursu enim symptomatum omnium ad naturam morbi concludimus, haec autem laicis nota haud est. Observari debet pars, quae secundum aegri relationes eminenter adfecta est, aegerque cogatur motus aut actiones perficere tales, quales morbus praetensus si reipsa adsit limitat, aut impossibiles reddit; imprimis autem oportet medicum attendere in symptomata, quae imitationem non facile admittunt, uti: conditio caloris animalis pulsus, motus cordis, respirationis, se et excretionum.

6. Si morbi simulati eius sint indolis, ut longiori observatione ad sui praesentiam vel absentiam determinandam indigeant, tunc medicus aegrum saepe inopinate, diverso diei aut noctis tempore invisit, comparetque sibi homines fidos, sagaces, de statu aegri edoctos, qui simulatorem

custodiant et observent, atque medico audita visaquae referant. Personae deceptorem in opere suo forte juvantes sollicitè removendae sunt, omniaque media quibus dolum porro continuare posset, subtrahi debent.

7. Observetur, num aeger abominetur aut lubenter summat medicamenta; vere aegroti valetudinem recuperare cupientes, et nauseosa medicamina facile admittunt; indagandum porro an, et qualem effectum pharmaca in morbis praetensis indicata producant.

8. Si suspectus ad fassionem fraudis permoveri nequeat, diaetae strictissimae et abstinentiae rerum praedilectarum, aut quae eidem in consuetudinem abiverunt, subjici debet; animus eius metu commovendus erit descriptione operationum horrendarum. Ex medicamentis morbo et casui individuali respondentibus, maxime nauseosa uti: emetica dosi refracta, hepar sulfuris, assa foetida etc. seligenda sunt; imò si evicta simulatione deceptor morbum affectare animo obstinato continuet, et dolores in eo excitari poterunt; adhibentur tunc externe unguenta acria, vesicantia, moxae, ferrum candens, etc.

§. 5. Morbi frequentissime simulati post cel. Mende ad tres classes reduci possunt.

a) Classis prima complectitur illos morbos, qui secundum opinionem laicorum se haud manifestant per signa ab extus visibilia.

b) Secunda classis comprehendit morbos, quorum symptomata secundum existimationem communem facile, et ita imitabilia sunt, acsi revera praesentia essent.

c) Tertiae classi adpertinent morbi, quorum signa pathognomica ita provocari possunt, ut effectus et sequelae noxiae, quas morbus genuinus necessario involvit, aut plae emanant, vel transitoriae, cessante causa excitante quae voluntarie adhibita erat per se dispareant.

# De morbis simulatis in specie.

## *Classis prima.*

### Sensuum externorum impotentia simulata.

#### A. Morbi oculares simulati.

§. 6. Morbi oculares simulantur per homines, qui a certis obligationibus, ad quas explendas iusta videndi potentia requiritur, se liberare intendunt; vel ut actiones illicitas sub praetextu, ac si hae involuntarie, ex impotentia personarum et alia objecta vicina videndi et discernendi commissae fuissent, excusare valeant.

Morbi oculares simulati frequentissime occurrentes sunt: myopia, prosbyopia, visus nebulosus, diplopia, nyctalopia, hemeralopia et totalis coecitas.

a) Ad myopiam et presbyopiam simulandam putant fraudatores sufficere vitris uti. Cum myopiae concava, presbyopiae vero convexa convenient vitra, medico inquirendum est an indicato statui morbo vitra, quae adhibent respondeant, nec ne? — Si myopes convexorum, presbyopes vero concavorum vitrorum faciant usum; aut si orbiculos e vitro vulgari factos adhibeant, seque melius videre simulent, fraus in aprico erit. Attendendum porro an aegri trans vitra vitio indicato respondentia typum legere, aut objecta remota cognoscere valeant? myopibus prope ad oculos typus admoveri debet, observando utrum legendo pares sint. — Cum exemplis compertum sit, homines successiva consuetudine trans quaecumque vitra, objecta tam vicina, quam remota videre posse, sponte patet, tentamina haec in negotio detegendae veritatis haud sufficere; erit ergo habenda ratio aetatis aegri, occupa-



tionis, structuræ nec non conformationis oculorum. — Myopia familiarior est junioribus, presbyopia senioribus individuis; homines vi suarum occupationum objecta oculo nimis propinqua considerantes, temporis lapsu myopes evadunt, quemadmodum et illi, qui abutuntur microscopiis; myopes cornea multum convexa, presbyopes plus minus applanata gaudent. Neminem tamen fugiet, has abnormitates visus saepe produci per interna, ab extus haud conspicienda vitia e. g. lentis crystallinae; posse porro unum oculum myopia, alium presbyopia adfectum esse; nec desunt exempla testante cel. Beer myopiae periodicae.

b) Visus nebulosus causam sui, si absque inflammatione partium bulbi oculi, aut palpebrarum incedat, iam in obscurationibus corneae, iam in partium systematis lenticularis obfuscatione agnoscit, iam amaurosi incipienti inferius describendae debetur. Causae hae, si ultimam excipias per accuratam inquisitionem facile cognoscuntur, quamvis deceptores, plures harum imitari noscant; ita illiniendo corneam acido nitrico diluto producant obscuraciones corneae, tribuantque oculo prospectum similem illi cataracta adfecto. Si signa cuilibet causae visum nebulosum producentis propria desint, morbus praetensus vel plane deerit, vel erit transitorius, causam sui in catarrho, aut levi ophthalmia reponens.

c) Diplopia frequentissime strabismo jungitur, quo in casu facilis ejus diagnosi; absque strabismo orta, frequentissime unum tantum oculum invadit, dignosciturque, si aeger oculos alternatim claudens diplopiam in uno tantum oculo accuset, in hoc enim casu fides eidem absque dubitatione tribuenda erit. Interdum tamen fit, ut ambo oculi vitio hocce laborent, sed tunc objectum ipsum distinctius percipit aeger, quam falsam hujus imaginem. Vitium hoc tam ut transitorium et periodice recurrens, quam ut continuum occurrit, et saepissime depeudet vel ab insolito

stimulo, vel ab statu morboſo nervi optici, quae omnia multo frequentius fundantur in paſſione univerſali, uti: plethora, congeſtionibus ſanguinis caput verſus, hypochondriſi, hysteriſi, vermibus inteſtinalibus etc., quam in cauſis topicis. — Objectiva vitia oculorum, ex quibus ad diplopiam concludere liceret, haec fere ſunt: corneae inaequalitas, per quam cornea in duo, aut plura inaequaliter arcuata plana dividitur, vel ſi unus oculus corneam multum convexam habeat, hacce in alio magis applanata exiſtente; aperturae duae in iride penes invicem collocatae. Si diplopia ab incipiente amauroſi dependeat, tunc eam comitantur et reliqua hoc vitium characteriſantia ſymptomata.

d) Nyctalopia jam ſociata photophobiae, per quam ſaepe producitur, jam abſque ea occurrit; in primo caſu frequenter palpebrae, vel bulbus ipſe inflammatione corripitur, ſed ea etiam abſente epiphora continuo praesto eſt, pupilla dilatata conſpicitur, et lucis actioni expoſita iris adeo ſenſilis eſt, ut palpebrae mox inter dolores ſpaſtice claudantur. Si ſymptomata haec non per cauſam aliquam artificio productam e. g. ophthalmiam excitata fuerint, nullum dubium de praesentia morbi ſuperest. In caſu ſecundo nyctalopiam producunt potiffimum obſcurationes corneae partiales, e regione pupillae ſitae, quae ad lucem majorem ob pupillae contractionem, lucis radorum tranſitum impediunt, in tenebris vero pupilla dilatata eundem admittunt. Cauſae hae debilitant quidem viſum de die, non tamen eundem penitus tollunt, facileque dignoſi poſſunt. Magis ardua diagnoſis nyctalopiae per amauroſim productae, quo in caſu tantum cauſae et reliqua ſymptomata amauroſeos, praesertim immobilitas pupillae clavam ad detegendam veritatem praebent.

e) Hemeralopia eſt etiam ſaepe ſymptoma amauroſeos ingruentis: ſi per lucem nimis intenſam quae de die in oculos agit provocetur, tunc tuendo oculum a nimio

influxu lucis, quemadmodum facile cognosci, ita et curari valet. Aegro interdum oculus unus vel uterque fascia deligandus erit, quo adminiculo visum recuperabit eum, quem secus sub crepusculo possedit.

f) *Caecitas perfecta.* Causae hujus vitii vel in integro latent organismo, vel ad oculum ipsum restrictae sunt. Caecitas perfecta, quae in vitiis oculi facillime et primo obtutu cognoscendis non radicitur, jam vitium iridis, lentis crystallinae et hujus capsulae, jam morbosum statum humorum oculi, praecipue humoris vitrei, jam nervi optici pro fonte habet.

Iridem morbosam esse denotat pupillae constrictio vel dilatatio nimia, ejus diductio, mobilitas imminuta, aut plane sublata. Constrictio pupillae et diductio ejus frequenter cum concretionem iridis cum postica superficie corneae, aut anteriore facie lentis crystallinae incedit; vitia haec simulari nequeunt. Aliter se res habet in dilatatione pupillae, quae artificialiter per substantias narcoticas uti: extract. aqnos. hyoscyami, belladonnae, daturae etc. oculo directe vel indirecte, per alias vias organismi adplicitas, effectuari potest, visu ipso pro tempore detento. Hinc ad evitandam omnem fraudem, aeger strenuae observationi adminus per biduum subijciatur, attendendo num substantias narcoticas occultaverit in ipso corpore e. g. lntestino recto.

Obscuraciones partium systematis lenticularis, visum attenti medici non effugient; idem sentiendum de pelluciditate fracta humoris aquei, de hydrophthalmo, et de glaucomate — obscuracione scilicet flavo-virescenti humoris vitrei. — Summa difficultate in casibus dubiis premitur diagnosis coecitatis ab amaurosi derivatae, praecipue poteutia videndi nondum penitus sublata.

Characterisatur autem amaurosis, per pupillam dilatam, mobilitatem ejus imminutam aut plane sublata, per potestatem videndi plurimum extinctam, per palpebram su-

periolem laxam, dependentem. Praeter haec datur in amaurosi evoluta signum constans, cum hac semper incedens, adpectus videlicet oculi torvus, alternans cum motibus oculorum scopo nequaquam respondentibus, strabismo non absimilibus. Aeger nempe nunquam figit utrosque oculos uno eodemque tempore in unum objectum, neque valet singillatim unum oculum dirigere in corpus ante oculos situm, ita, ut hocce perfecte in axim ejus cadere possit. Si causa, origine, evolutione nec non phocnomenis morbi inter se comparatis, veritas tamen in lucem proferri nequeat, tunc cum praecautela debita tentamina instituenda erunt, per quae aegri ut plurimum si morbum simulabant semet produunt; huc pertinet instrumentum acutum inopinate aegri oculo admotum, quod utique deceptor effugere conabitur; praecclusio viae in loco inexpectato per objecta quaedam, in quae revera coecus impingere debet; vel ductio aegri ad rippam fluvii cujusdam, qui visu pollet, is non facile iter suum in fluvium continuabit.

### B. Vitia Auditus.

§. 7. Cum organa auditus sensus fugiant, morbi horum ab astutis hominibus saepissime simulantur. Pro diversitate scopi quem simulates assequi conantur, jam cophosi ab infantia se adfectos esse praetendunt, quo in casu et aphoniam simulare coguntur; jam eandem acrius adquisitam fuisse affirmant. Ultimi hi non perfectam surditatem, sed ut plurimum baryecojam gradus diversi simulant, cui jam dolores, jam effluvia saepe foetida ex auribus socia esse declarant. — Sub inquisitione medico attentionem convertere necesse est in lincamenta faciei, in externum adpectum aegri suspecti, haec enim in surdis characteristici quid semper offerunt; in structuram praeterea aurium, praecipue meatus auditorii externi, qui non raro tenet substantias peregrinas pessime olentes, quae ad dolum fulciendum praevie

artificialiter auri inferuntur; saepe tamen observantur angustationes meatus auditorii, diversi hujus tumores; nec cavum oris sub investigatione praetereundum est.

§. 8. Magnam diversitatem offerunt surdomuti, quibus eruditio malo conformis ab infantia praestita fuit, multumque distinguuntur ab illis, qui eadem non gaudebant. Posteriores hi vere surdomuti, facultate imitandi magna polent, ope cujus signa intellectu facilia inveniunt, quibus dexterrime ad resarcendam loquelam utuntur, et motus oris eadem, qua id in aliis hominibus fieri vident, ratione perficiunt, sonos non articulatos edentes. Deceptores in imitatione sunt minus felices, signa quae instar loquela adhibent, sunt multum complicata, et difficulter intelligibilia; sonos haud emittunt, metuentes per id se prodere posse.— Surdomuti quibus vitio respondens institutio data est, saepe distincte loquuntur; in hac tamen loquela facile observatur, eos vocem humanam nunquam audivisse; vox eorum lenta et rauca est, absque ejus elatione aut lapsu, et cum literas singillatim quasi exprimant, semper quidquam tensa. Os ejus, quocum loquuntur, semper intuentur, tantum hac ratione loquentem intelligere valent, ideoque in tenebris sermocinatio illis non conceditur. — Dum surdomuti scribunt, faciunt id accurate secundum datam illis praescriptionem, nunquam collocantes literas aut syllabas ita, quemadmodum hae sub enunciatione auditu percipiuntur, quod e contra a non eruditis surdomutitatem imitantibus communiter fit. Sic Abbé Sicard detexit fraudem viri juvenis, in cujus scriptura errores orthographici plenarie concordabant cum pronunciatione, hic enim scripsit e. g. *pin* loco *pain*, *massu* pro *massue*.

§. 9. Ad detegendam surdomutitatem aut acojam, necesse est aegros improvise terrore percellere, aut iis ea suggerere, quae haud expectato gaudio ac tristitia eos conturbare valent; in praesentia aegri, medicorum consul-

tatio fiat voce alta, de liquoribus acerrimis auri infundendis, aut de operatione dolorifica mox curandi scopo suscipienda etc.; sub quo actu signis inquietudinis et anxietatis aeger se prodere debet. Sub somno surdomutos se fingentes observandi sunt, an loquantur? an ad explosionem sclopeti terreant? hoc tamen ultimo tentamine, ob metum periculi per terrorem forte provocandi, in casibus rarissimis et nisi mediis omnibus prius ad dolum detegendum incassum adhibitis uti licet. — Baryecojam simulantes juvat in colloquia fervida immiscere, initio voce altissima, attentione aegri abacta sensim pacatiore, dein naturali, ac tandem voce submissa, quod vix animadvertentes semper ordinate respondebunt.

Mutitas absque surditate potest jam in defectu linguae, jam in paralyti linguae aut nervi vagi radicari. In paralyti linguae, haec tenuis quasi emaciata, compressa, postrosum retracta, in fundo cavi oris jacens, parum aut plane non mobilis observatur. Paralyti nervi vagi adfecti, sonum nunquam necquidem sub sternutatione aut tussi proferre valent.

### C. Defectus Gustus.

§. 10. Qui gustum se perdidisse ajunt, his lingua extr. Quassiae, aceto radicali, capsico annuo et aliis acris inungenda erit.

### D. Defectus Olfactus.

§. 11. Qui defectum olfactus accusant, convincentur: si eis minime attentis assa foetida vel oleum animale foetidum, super carbonibus gliscentibus evaporantes in nares diriguntur.

---

## Morbi dolorum vehementia insignes.

§. 12. Huc pertinent dolores per rheumatismum, arthritidem, coxalgiam, odontalgiam, gastralgiam provocati; porro colici, pleuritici, a calculis etc. pendentes. Cum dolores nullis se manifestent signis externis, dum simulantur, difficillime deteguntur. Medico inquirenti ad detegendam praesentiam dolorum circumspicere necesse est sequelas atque effectum dolorum atrociorum, tum in vasorum systemate, tum in aliis functionibus; cum vehementissimo quoque dolore pulsus concitari, functionesque imprimis organorum internorum turbari soleant.

Fraus merito suspicari potest, dum pulsus placidus est, somnus quietus, mutatio nulla in physiognomia, appetitus viget; si remediorum morbo praetense indicatorum, dolorem aut nauseam excitantium non admittatur usus; si inscius observatus aegrotus, tranquillus deprehendatur. Si optato scopo assecuto, aut propositis quibusdam operationibus chirurgicis dolores protinus evanescant, de horum simulatione omne dubium tollitur.

§. 13. Cephalalgia continua continens, communiter incedit cum dolore urente oculorum, photophobia, calore adaucto, pulsu duro, aut frigore extremitatum, et parvo contractoque pulsu. Pro diversitate causarum dolores excitantium, facies jam turgida, rubens, jam pallida est. In primo casu accusant aegri vertiginem, pulsationem in capite, oculi eorum rubent, pulsus fortis est et durus, epistaxis praesertim sub sternutatione comperet. In secundo casu oscitatio crebris aegros invadit, spasticaeque subinde affectiones, praecipue musculorum faciei se insinuant; extremitates aegri frigent, pulsus tangitur parvus; horum status post pastum, aut usum potuum spirituosorum modera-

tum transitorie melioratur, illorum exasperatur. Cephalalgiae continuae continentes rarissime absque adfectionibus organorum cavi abdominis occurrunt. — Defectus horum symptomatum absentiam dolorum praetensorum denotabit.

§. 14. In pleuritide ad tussim, febrim, respirationem, et sputa sanguine tincta, attendendum erit. Dolores collicos fictos esse dices, si appetitu cibi vigente digestio normalis sit; alvi excretio et excreta a statu naturali haud abludant; pulsus normae congruat; neque cutis sudore frigido perfundatur.

§. 15. Dolores provocati a calculo vesicae, per prurium glandis penis, per nisum frequentem ad mingendum, per excretionem urinae guttatim, alias rivo diviso contingentem, jam subito interceptam; per institutam explorationem vesicae ope catheteris aut specilli; per intestinum rectum antea depletum aut vaginam, ope digiti, innotescunt. — In foemineo sexu illatio artificialis corporum heterogeneorum in vesicam, quae per urethram facile extendendam possibilis est, attentionem medici inquirentis haud effugiat. — Rheumatici et arthritici ficti erunt dolores, si nec animus aut habitus aegri mutatus fuerit, nec pars affecta tabescat.

§. 16. Considerationem peculiarem merentur casus illi, in quibus dolores interni per violentias externas concitati fuisse perhibentur, quin laesiones externae, dolorum vehementiae praetextae respondent, conspiciantur. Hic praeter determinationem praesentiae dolorum et erui debet, num reapse per violentias illatas hi dolores excitati sint, nec ne? quam ob rem tam laesio ipsa, quam instrumentum quo, et modus quomodo haec illata fuit, perpendi debent; et ratione habita aetatis, sexus, constitutionis individualis aegri determinari: num per ea laesiones tales certarum partium internarum provocatae esse possint, quales ad dolores accusatos excitandos, ad-



esse necessario deberent. Probe tamen notandum est laesionem externam, internae per eandem violentiam excitatae, ratione gradus intensitatis non semper respondere, quod tunc accidit, si aut interna laesio per repercussionem vel vehementem commotionem partem a loco, in quem externa violentia egit remotam, tangat: aut si pars laesa ejus indolis sit, ut impressiones externas vehementiores, internis per eandem obiectis communicet partibus, quin in ea visibilis mutatio contingat, quod manifeste accidit post laesiones cranii, ubi in facie hujus externa saepe nihil observatur, praesentibus fissuris tabulae vitreae, extravasatis sanguinis, commotionibus cerebri etc.

§. 17. Si suspicione mota aeger porro quoque simulationem continuare pergat, huic et adstantibus graviter imponendum est, ut aeger continuo cumbat, diaetam observet tenuem, medicamenta nauseosa diligenter summat; adhibeantur revellentia, uti est: ungv. Autenriethii, cortex mezerei etc., non minus urticatio, perkiuismus, cucurbitulae siccae calidissimae. His tentatis non sufficientibus, terror aegro incutiendus erit operatione cruenta, curandi scopo suscipienda, uti est trepanatio, paracentesis pectoris, gastrotomia, exstirpatio uteri, ferrum candens ad coxas etc.

### Abstinencia nimia a cibo et potu.

§. 18. Haec scopo decipiendi saepius praetensa, si quod rarissime evenit, vera sit, semper e morbo quodam organismi statu oritur, cum hocce parallele quoad evolutionem (quae lenta est) et incrementum incedit. Ea ratione, qua susceptorum alimentorum quantitas imminuitur, et excretiones omnes restringuntur, tandem ex integro cessantes; corpus aegri emaciatum, vires ejus ad imum prosternuntur. — In cadavere foeminae quae impotentiam de-

glutiendi accusabat, et spatio quinque mensium nimis parum, ultimis autem 40 diebus vitae ejus, praeter aliquot cochlearia aquae nihil summere potuit, angustatio pharyngis, oesophagi, ventriculi nec uon intestinorum ab incrasatione membranarum orta, reperta fuit.

Astus supponitur, si abstinentiae speciem praesefereus habitum et vires nihilominus retineat vigentes. Medicus operam dabit, ut qui se jejunare perhibet ab hominibus fidis sollicite custodiatur, quo minus cibos accipere queat, vestimenta et lectisternia saepius visitentur, nec nou clam observetur abstemius; unde fame vera coactus, fraudem tandem fatebitur.

## *Classis secunda morborum simulatorum.*

### *Epilepsia.*

§, 19. Epilepsia frequentissime simulata occurrit, distinctionem verae a falsa observatio insultus docebit. In casu vere epileptico, plurimum cum alto clamore paroxysmus inchoat; aeger subito corruit, spasmus clonicus vix non omnium musculorum nunc accedit. pollex tamen tonice contrahitur, tantum maxima vi adhibita extendendus, ast extensus situm suum retinet; sensus externi et interni disparent, sicque sensibilitas et conscientia sui amittitur; oculi rutili protruduntur, mox iu gyrum acti mox fixi, torpentes; pupilla ut plurimum dilatata, erga lucem etiam intensiorem plenarie insensilis est; semiclausae sunt palpebrae; facies omni temporis momento alio, alioque perfunditur colore; musculi faciales distorquentur, mox spasmus cinicum, mox risum sardonicum praeseferentes. Apprimat trismus mandibulam inferiorem superiori, dentes strident et vulneribus conficiunt tumidam linguam;

os spumam copiosam ut plurimum cruentam scaturit; vasa capitis et obstipi colli turgent nimio opere; pulsus spasmodicus, imminutus; status soporosus adest cum respiratione brevi, clangosa, stertorosa; cor in palpitationem agitur; alvus, urina non raro et sperma involuntarie secedunt; abdomen contractum, scrotum annulo abdominali approximatum, et penis erectus est. Cum fine insultus sequitur sopor brevi durans, conscientia sui redit, aeger cum verecundia morbi conflictatur, animus ejus consternatus est; comparet sudor aequabilis largus, urina aquosa, demum somno placido reparatur immane damnum quod corpus perpressum est, et quae supersunt stigmata (echymoses, vulnera) mox disparent.

§. 20. Fraudulenti morbum hunc atrocem simulantes, projiciunt semet in terram, convulsiones proterve fingunt, anaesthesiam apparentem voluntas firma poenarumque metus prolicit, oculos voluntarie apertis palpebris rotant, pupillam narcotica absumendo dilatant, pulsum caloremque augent; livor faciei producitur constrictione gulae et retentione pro tempore respirii, spuma oris sapouae vel radice saponariae aut talco masticato producitur, et per laesionem linguae et gingivarum sanguinolenta reddita, ejicitur. — Epilepsiam fictam in sceleratis non raro supplicii adinstar in veram abivisse, fide dignae observationes docent.

§. 21. Notis signis pathognomicis epilepsiae verae, notaque methodo, qua aliqua horum deceptores imitari conantur, sequentia adhuc diagnosim epilepsiae verae a ficta illustrabunt:

1. Cum vere epilepticus absque delectu loci et circumstantiarum, saepe in irreparabile sui damnum concidat, attendendum erit quomodo collabatur aeger, an non forte callide tempus, locum, adstantes eligendo, artis, reique peritos vitando.

2. **Observandum an anaesthesia ficta vel genuina sit; sic an oculis cito admota candela, pupilla contrahatur, an errhina nares adficient, an acclamationes, strepitus inopinatus, signa terroris producant; huc quoque pertinet instillatio cerae hispanicae ardentis, et punctura medio acuum, applicatio moxae aut aquae bullientis fasciae gossypinae ope ut vesicantis momentanei.**

3. **Signum diagnosticum Insultus epileptici optimum, faciei livescens vel nigricans turgescencia sistit, cuius subito disparentis locum, cessantibus convulsionibus, pallor occupat; haec alternatio celera coloris vultus nunquam ita imitari potest, ut medicum attentum fraus effugiat.**

4. **Pollex expansus situm suum retinet; morbum simultantes eundem celeriter coarctare non negligunt. Denique**

5. **Examinandum an respiratio voluntarie suppressa aut intensa sit, an non pulsus ligaturis in statum spasticum mutatus sit, an in spuma oris moleculae saponis aut talci deprehendantur; probe tamen notandum est in nonnullis epilepticis spumescentem hanc salivam haud adesse.**

## Chorea S. Viti et Convulsiones.

§. 22. **Morbus prior juniora fere solum subjecta plectens, spasmodum clonicorum species est, universalibus ut plurimum convulsionibus, faciei praesertim et membrorum, quibus motus corporis insoliti gesticulationum petulantium adinstar perficiuntur, perstante conscientia, sese manifestans. Convulsiones hae cum occupatione quotidiana aegri in aliquo nexu sunt, ut lotrix lavat, sutor et netrices neunt, etc.; monente Vogel subsultus tendinum et tempore somni adsunt; imprimis characteristici sunt motus, quos perficiunt dum cibum potumve propinatum ori admovent. — Imitari haec symptomata per fraudatorem cum**

aliqua tantum similitudine vix poterunt, hinc difficillimum erit hujus morbi simulatione fallere medicum, qui verum semel observavit.

§. 23. **Convulsiones** a foeminis omnis aetatis ad simulandum selectae, licet frequentissime occurrant, ingenia tamen medicorum parum exagitant, nam qui unica vice convulsiones genuinas attente observavit, is nunquam decipi potest. Robur, est signum pathognomicum convulsionum genuinarum minime imitabile; observante cel. Haller foemina debilis tempore paroxysmi a quatuor fortissimis viris paccari vix potuit. Inquisitio characteris moralis, culturae gradus, habitusque aegrotae, functionum porro abdominalium organorum, respirationis, circulationis, conditionis cutis et urinae, demum effectus remediorum adhibitorum, medicum de praesentia morbi evincunt. — Suspensione exorta, remediorum antihystericorum ingratis-  
sima, tam interne quam externe adhibenda sunt; commendanda medico summa indifferentia erga aegram, et probabilis scopi ejus assecutio omni ratione inhibenda erit, de felici enim successu edocta furia, omne denegatum postulatam convulsionibus extorquere nitetur.

## Somnambulismus et Nostalgia.

§. 24. In somnambulismi paroxysmo aeger sui inscius motus musculares peculiare perficit, qui ut plurimum sunt imitamenta occupationum, consuetudinum, et animi pathematum habitualium; actiones saepe perficiuntur periculosissimae sine damno, et aeger nomine suo vocatus, territus corrumpit. Usus sensuum externorum aboletur, ut nonnunquam diductis etiam palpebris (secus conviventibus incedit), dilatataque erga lucem insensibili pupilla, nihil videat, nec bene audiat. Motus, sensu tactus modificari et

regi videntur. — Si aegroti perficiant motus, occupationi et consuetudini habituali non respondentem, multum deliberatos hinc saepe ridiculos; si observetur eos omne periculum sollicitè vitare; si eorum actiones per accidens improvisum facile interrumpi possint; si allocuti haud concidunt, sed actiones suas tranquille ultro quoque peragant; pupilla eorum non sit dilatata, et lucis actioni exposita contrahatur — morbus simulatus erit.

§. 25. *Nostalgia* frequentius incolas septemtrionis juniores et monticolas, sed et alios invadens, per desiderium nimium in patriam ad suos redeundi producitur. Characterisat se hic morbus melancholia, suspiriis involuntariis, anorexia, habitu cachectico, febris denique hectica. *Nostalgia* exasperatur eo magis, quo minor spes in patriam relictam revertendi adsit, porro per auditas cantilenas, melodias, aut linguam patriae. — Fraus status animi praetensi detegatur temporis tractu, si morbi hujus sequelae enumeratae non compareant. Suspensione de morbi simulatione orta, homo victu paucissimo et medicamentis ingrati saporis adhibitis, ad fraudis confessionem adigatur.

### Lipothymia et Asphyxia.

§. 26. Ob signa morbis his propria, uti palpitationem cordis, circulationem sanguinis suppressam, et hinc ob pulsus, coloris faciei, et temperaturae corporis alienationem sequentem, morbos hos imitari difficillimum est. Cum sensationes detineri haud possint, generatim dolus detegi poterit, si haec adficiantur; utiliter hic adhibentur errhina. — In *Lipothymia* notandum est, quod ea non tantum fugi, sed per illationem allii aut nicotianae in intestinum rectum, et artificialiter provocari possit; fraudem evincet applicatio clysteris. Fumigatio ope cepae aut cumini, dicitur etiam lipothymiam provocare posse, quam artificio pro-

ductam, odor horum mox prodet. — *Asphyxiam* simulatam fuisse testatur exemplum Angli famosi, qui ad labitum manu, cordis motum sistere valebat, sicque *Asphyxiam* saepissime pro mercede simulabat, donec sub simili productione cor in aeternum temerario obsequia recusaret. — Cum *Asphyxiam* diu simulari non posse ex natura hujus morbi intelligatur, fraus per se in lucem prodit.

## A p o p l e x i a.

§. 27. Haec semper sanguinea simulatur. Genuina, manifestat se per faciem lividam aut obscure rubram, tumidam, respirationem stertorosam, pulsum irregularem, justo fortiorem vel debiliorem, denique per sensum motumque perfecte sublatum. Plurima horum symptomata usu spirituosorum, voluntarie citata respiratione, et exercitio producantur.

Fraudem suspicamur, si habitus apoplecticus, turgorque vasorum sanguiferorum absint, si pulsus sit regularis, si observetur respirationem voluntate regi; deceptor diuturnis vigiliis subjiciatur, ut sic tandem exhaustus somno obruatur, sub quo voluntate cessante symptomata omnia arte provocata disparebunt. — Ad convincendum impostorem cum utilitate adhibentur ingrata incitamenta externa, uti sunt: aqua bulliens, ictus electricus. acupunctura, urticatio, moxa; odorifera fortia, uti ammonia pura liquida, armoracea tusa; vel ingrata, per adustionem pennae, aut inunctionem narium ope olei animalis foetidi, denique errhina. Caveat tamen sibi medicus de fraude haud certo persuasus, ab usu fortiorum errhinorum, quippe quae mortem hominis apoplectici accelerare possent, tunc potius vesicantia fortiora, venaesectio, aut cucurbitae cruentae multo igne appositae, et magna vi a corpore avulsae cum fructu adhibentur.

## Paralysis et contractura.

§. 28. Paralytim post apoplexiam saepe remanentem simulari scimus, si partes resolutae neque flaccidae neque frigidae sint, haud tabescant, nec sensu motuque careant, arteriarum denique ictus normales sint. Ad vitium hoc dijudicandum commodat *Percy* ferrum caudens experi-ri, ut remedium in vera paralyti jam saepius cum effectu adhibitum, cujus tamen applicationem simulantes, licet erga alia remedia dolentia indifferentes, fassione doli praevonient. Simili scopo moxa, perkinismus, urticatio, cucurbitularum siccarum appositio, acupunctura etc., optime autem ictus electricus e lagena, et mentionata methodus nauseam producons adhiberi potest.

Si contracturae praetendantur, ubi artus ingenti vi musculari in flexura detinentur, imprimis ad causam excitantem attendendum est; hac insufficiente assignata, ad experimenta transeundum erit; sic illis, qui digitos contractos simulant, firmetur zona in digitis, illique appendantur pondera eo usque, donec expandantur; vel aegro camerae incluso alligetur manus sana corpori, in loco elevato camerae cibi locentur sapidi, quos aeger fame impulsus, digitis expansis decipiet. — Si contractura articuli cubitus praetendatur aeger convincetur, si in somno, praesertim narcoticis aucto, plumula meatus auditorius ejus titilletur, tunc manum aut brachium secus contractum auri admovet et expansum repouit, quo experimento reiterato, momento quo similem actionem manu affecta perficit, excitetur. — In contractura extremitatis inferioris non raro crura lignea ad incedendum supponuntur; suspicione jam mota, solvatur impostori pes fictitius, jubeatque medicus aegrum insistere pede sauo asseri altius locato, quo ob-



servare licebit, quod paulo post ad aequilibrium retinendum pedem secus contractum expandet.

## Tetanus, Catalepsis et Extasis.

§. 29. Considerata natura tetani, apparet morbum hunc difficillime simulari posse; simulatum vero diligenti observatione, imprimis tempore somni cognosces. Non enim valet praetensive aeger vires corporis ad spasmos ejusmodi imitandos diutius intendere, aut partes corporis per aliquot tempus ita immotas tenere, ut in isto morbo fieri solet. Ad veritatem rei eruendam sequens experimentum instituendum erit: brachio extenso aegri, pondera zona alliganda sunt, qua mox rescissa, succussio brachii sequi debet in simulato morbo. Ratio habeatur pulsus, qui in morbo vero tranquillus est, in simulatore ob magnam virium contentionem vehemens et frequens deprehendetur.

§. 30. Catalepsis, morbum sistit peculiarem et rarum, sub cujus insultu conscientia sui omni absente corpus immobile est statuae instar, simul tamen flexibilitatem habet ceream, ita, ut figuram omnem situmque ab alio datum retineat, dummodo centrum gravitatis non veniat extra basin. Si insultus inchoavit sub loquendo, eo finito continuat aeger in ea sermonis actionisve parte, quam paroxysmus interrompebat. — Symptomata haec nullatenus cum successu imitari posse, neminem artis peritorum fugiet.

§. 31. Extasis vocatur ille morbus, sub quo aeger representatione cujusdam objecti abreptus statuae instar immobilis est; magnam similitudinem cum catalepsi sovet, a qua tamen eo differt, quod corpus non habeat flexibilitatem ceream, nec conscientia omnia silcat, ideae enim qua abripitur aegrotus conscius est. Simulatur hic morbus fero unice ab Hippocritis, ad homines decipiendos, et nomen sanctitatis sibi conciliandum. Dijudicatio hujus simulatio-

niae summe ardua est, cum vulgus in deceptore rem quampiam supranaturalem et miraculosam admirans, haud permittit, eundem molestiis adfici, aut experimenta propositorum medicamentorum ope institui.

## Dysuria et Enuresis.

§. 32. Ad detegendam prioris simulationem, oportet ex officio se simulare omnia ab aegro relata, ut evicta credere; interim autem reflectere ad aegri statum sanitatis priorem et symptomata praesentia; ideo observetur urinae missio, sub qua si spasmo tonico rivus intercipitur ab extus nihil observatur, occupat enim tantum sphincteres urethrae. Hac de causa inquirens adposita dum aeger urinam mittit, manu ad illius perinaeum manifeste observabit, quod rivus a subdolis actione musculorum levatorum ani et transversorum perinaei intercipiatur, vel si a vitio organico oria- tur (strictura urethrae) tunc urethritis ut plurimum syphilitica gravior debuit praecessisse, et urina magna vi rivo tenui arcuatim in distans ejicitur, quod nunquam imitari poterit. — Ad praetensionem hanc dijudicandam in scopum curae investigatio per candelulas (bougie) suscipiatur; quamprimum autem obstaculum supra perinaeum ut plurimum inquirens sentit, aegrum ad murum stare jubeat, coneturque illius attentionem a loco affecto per colloquia amovere, quo momento aliqua, cauta tamen vi promoveat instrumentum; successus felix suspicionem fere firmat, nulla tamen inde summanda notitia, sed confirmetur aeger in spe, simulatione scopum assequendi. Altera die similibus sub candelis iteretur investigatio, quae si aeque feliciter successerit fraus in apertis est.

§. 33. Enuresim imitantur astuti per potum copiosum cum nitro, cremore tartari, pulv. cantharidum, scillae, decocto specier lignorum et radicum. —

Fiat hic investigatio specilli investigatorii vel catheteris ope, ad sphincteris conditionem cognoscendam; vel eum paralysis vel exulceratio ejus adesse debet, ambobus in casibus instrumenta obstaculo nullo praesente, facillime in vesicam immitentur; in simulatoribus autem obstaculum naturale, actio nempe sphincterum urethrae sanorum superanda erit. Opinione sic exorta de probabili fictione, aegro opium exhibendum erit, dein somno obruto siccum supponendum est linteamen, ubi hoc per horas 6—8 siccum manet, luce meridiana clarius est, imposturam subversari, nam opium nullam habet vim cognitam, in paralysem aut exulcerationem sphincteris urethrae sufferendam.

## ***Classis tertia morborum simulatorum.***

### **Febris.**

§. 34. E febris, inflammatoria simplex persaepe simulatur, cujus symptomata impostores secundum stadia perbene imitantur; et quidem stadium frigoris magnis dosibus aluminis cum vino, digitali purpurea, praesertim acidorum mineralium et vegetabilium ope; pallor faciei provocatur per allium ano impositum, et fucum album; pulsus adhuc imminuitur per vincula brachialis injecta, aut comprimendo manu opposita, vestibis, vel apparatus musculari arteriam subaxillarem. — Stadium caloris excitatur aromatibus spirituosiss, narcoticis, uti: decocto sem. hyoscyami, herbae belladonnae et daturae, nicotiana ventriculo anoque imposita, quae pulsum citat et habitum vere morbosum producit; imprimis autem opii praeparatis, quia per haec stadium sudoris suapte sequitur, quod dein sustentatur dosi parva camphorae, ammoniac purae liquidae etc.; sitis, dolores et alia voluntarie praetenduntur,

facies rubro fuce inungitur, urina his pharmacis mutato colore excernitur.

§. 35. Si febris gastrica praetendatur, tunc deglutitis diversis substantiis, vomitus cietur tam emeticis, jam inconspicua pressione regionis epigastricae; jam per aërem deglutitum, aut denique vomitus ad libitum regitur imperio aliquo ut videtur acquisito in fibras musculares ventriculi. Lingua obtegitur pellicula e farina, creta, sapone nigricante aqua emollita, succo nicotianae aut aliis colorata.

### Ophthalmia chronica.

§. 36. Provocatur Irritatione clandestina oculi per alumeu, calcem, succum nicotianae, emplastrum cantharidum, quae communiter deferuntur intra bulbum et palpebras, vel partes hae laeduntur instrumentis acutis et unguibus. Nonnunquam evulsis ciliis margo palpebrarum causticis exulceratur, imo corneae obscuraciones uti superius dictum fuit per acidum nitricum dilutum inducuntur, nec deest exemplum ubi huius vitium simulatum erat apponendo corneae frustrum telae tenuissimae, (mousseliue). — Ad eiusmodi malevolae artis productum cognoscendum juvat oculos diligenter inspicere, et si quae corpora heterogenea contineant, ea quo citius removere. Aeger vigili oculo habeatur, ne substantias superius recensitas inflammationem sustentantes acquirere possit; manus eius vestimento aut manicis absocondantur, adhibeantur revellentia dolorifica. Si rubor et tumor sub hac cura cito dispareant, tunc ophthalmia arte provocata fuit.

### Ulcera foeda et exanthemata.

§. 37. Ulcera rarius simulantur per appositionem cutis aut pelliculae vermium, ranarum etc; frequentius exci-

tantur lacsione contiui, exciudendo nempe forcicis ope partem, aut cutim arena terendo, aut eam tractando materijs epidermidem destruentibus, uti: cort. mezerei, succo euphorbiae, cantharidibus, acido nitrico, aut emplastro e calce viva, sapone, et rubigine ferri constante, allio tunc. cum aceto etc. Ulcera euata conservantur in suppuratione larga et foeda, jam irritatione plagae exulceratae mechanica quotidiana, plantis acribus aut unguentis stimulantibus, denique impressione corporum peregrinorum, imprimis nummolorum cupreorum et expositione partis exulceratae aëri libero. In exulceratione auris internae et concharum narium simulatis, Ichorem pessime olentem, miscela e caseo putrido et assa foetida spongia excepta et in cava intrusa imitari solent.

§. 38. Exanthemata ut provocentur, acria diversa vegetabilia, rhus toxicodendron, guttulae tincturae cantharidum, urtica applicantur; imo et provocantur esu diversorum ciborum uti cancri astaci, clupeae harengi salsi, fragorum etc. quae a natura in quibusdam individujs exanthema producere valent. — Saepissime excitatur tinea capitis etquidem recens per inunctionem partis capillatae capitis acido nitrico diluto, facie praeviae erga actionem illius defensa; status autem chronicus sustentatur per diversa depilatoria hinc inde apposita. — Echymomata, quae post leviores etiam ictus in cute occurrunt, simplici pictura succis coeruleis et flavis imitantur.

### Haemoptoë et haematemesis.

§. 39. Haemoptoë simulatur a malevolis per sanguinonem e gingivis, lingua et bucca laesa exsuctum; per bolum armenam, radicem rubiae tinctorum, pulverem tegularum rubrarum cum sapone nasticatum tussiendo ejectum

§. 40. Vomitum cruentum imitantur per decoct. ligni Camposchiani vel rad. rubiae tinct., aut per sanguinem bovinum, avium domesticarum clam haustum, quae facile vomitu ejiuntur. — Ad detegendam fraudem materia sputis aut emesi rejecta aquae purae imittatur, in qua si rubedo aequabili modo diffundatur, fraudem suspicari licet nam sanguinis pars fibrosa et pigmentum ab aqua haud recipitur, sed in vasis fundum deponitur. Differentia inter sanguinem et decocta vegetabilium melius adhuc cognoscitur adfuso acido minerali et spiritu vini fortiori. Si sequelae haemorrhagarum verarum inevitabiles, ut sunt: decrementum virium, pulsus debilis, pallor faciei, oculi turbulenti non insequantur, vel si ex investigatione priore comprobatum fuerit aegrum quaedam mastiçasse aut absumsisse, dolus manifestus crit,

### Dysenteria et Haemorrhoides.

§. 41. Dysenteriam fraudulentam imitantur sanguine majori quantitate cum sale neutro hausto, per esum fructus fici Indicae vel mori nigrae; securius, sumpto desuper nitro aut sale ammoniaco. Reipsa autem inducitur usu drastico-rum diversorum, vel carbone suberis cum aceto; imo et sulfas ferri solutus a sutoribus militaribus, quem hi ad soleas nigro colore tingendas adhibere solebant, absumptus erat.

Fluxus cruentus ex ano simulatur intestino recto inponendo spongiam, vel vesicam natatoriam piscis sanguine repletam, aut mariscas praesentes, vel irritatione ope pulveris capsici annui vel herbae nicotianae provocatas laedendo, ut fluentes evadant.

## Metrorrhagia, Catamenia et Haematuria.

§. 42. Fluxus sanguinis e genitalibus foemineis provocatur lacsione vulvae, et vaginae, vel imitatur sanguine gallinaceo aut allo vulvam et indusia maculando; vel spongiam aut vesicam sanguine plenam vaginae imponendo, quae ad omnem pressionem sanguinem fundunt. — Si virium ratio post longiorem fluxus moram illaesa sit, et abluta vulva visitataque vagina sanguinis fluxus cesset, fraudem subversari nemo dubitabit.

§. 43. Ad simulandum mictum cruentum, urinam missam cum sanguine recenti miscent, vel eundem vesicae injiciunt, vel urethram laedunt; cruentam adhuc urinam reddere valet usus rad. rubiae tinctorum, aut cactus opuntiae; cantharides aut alia acria, ob dolores quos excitant, vix adhibentur.

## Emesis, Diarrhoea, et rerum praeternaturalium excretio.

§. 44. Emesim simulatores provocant per usum remedium solventium salinorum, per titillationem faucium, emeticis saepius absumptis, et ut sub febris gastrica dictum est per deglutitum aërem, et per exercitio comparatum imperium in ventriculum.

§. 45. Diarrhoea excitatur solventibus, purgantibus, clysteribus, vel corporibus irritantibus intestino recto intrusis; vel faeces solidae commiscentur cum urina, formaturque species pultis evacuationi diarrhoicae non ab-similis.

§. 46. Res praeternaturales saepe evacuari praetenduntur, uti crines, ossa, lapilli e vesica urinaria,

et ano; acus, ranac, lacertae, cancri, insecta etc. vomitu aut alvo evacuari perhibentur. Haec omnia ut legibus physicis notis penitus contraria, peculiari attentione medici digna haud sunt; qui narrantur casus praeternaturalium rerum excretarum, hae vel jam contentae erant in vase in quod evacuatio contigit, vel a fraudulentis occulte deglutitae aut in ore absconditae erant. Quamvis fide digna testimonia perhibeant insecta, ranas, serpentes etc. quorum ova casu deglutita erant, in tractu intestinali successive evoluta fuisse, et ante earum excretionem incomoda multa produxisse.

### Icterus, scrophulae, scorbutus.

§. 47. Icterum impostores imitantur dolorem voluntarie praetendendo; hyphochondrium inflando per aërem deglutitum; habitum cachecticum usu solventium; colorem cutis decoct. curcumae, croci, rhei, putaminum nucum. Tentabant et scleroticam iisdem decoctis tingere, absque tamen successu; alvus decoloratur per doses parvas acidi muriatici.

§. 48. Et scrophularum signa imitati sunt deceptores; ulcera in facie anteriore colli excitant acribus, haecque in suppuratione sustentant emollientibus; ad ruborem, tumorem labiorum nariumque provocandum, partes has succo euphorbiae et aliis inungunt.

§. 49. Scorbutus simulatur inungendo gingivis, dentibus praeve cera vestitis, materias acres, ut sic gingivae sanguinem plorantes, tumidaeque reddantur.

### Hydrocephalus externus et Hydrops univ. infantum.

§. 50. Tumorem capitis aut totius corporis monstruosum. elasticum, haud fluctuantem, mendici ad commiserationem.



tionem praetereuntium similibus prolibus excitandam, in maximum detrimentum sanitatis tenellorum imitantur. Et quidem inflictio vulnere exiguo infanti pone aures, vel sub axillis, tubulo textum cellulosum aëre inflant, dein vulnus emplastro tenaci obturant. — Praeter integumentorum communium disquisitionem tactu quoque solo emphysema distingui potest. Tumores enim quorum causa in accumulato aëre posita est, digitis prementibus alium imprimunt sensum, quam qui a tumore seroso inducitur, sunt enim molliores, ad tactum crepitantes, nihil seri fundentes. Non autem esse emphysema naturale sed artificiale, invento vulnere emplastro obfecto, ad oculum demonstratur. Simili arte excitatur Hydrocele, in facie posteriori scroti aërem inflando; oedema pedum, per ligaturas supra genu cruribus injectas.

## Hernia, Prolapsus et Polypi.

§. 51. Hernia scrotalis simulatur appendendo scroto ventrem ovillum, aut vesicam bovinam; hernia inguinalis producitur inflando eo loco textum cellulosum; vel testibus abdomine retentis aut etiam attractis, in quo posteriori raroque casu cremaster voluntati plenarie subjectus esse debet.

§. 52. Prolapsus ani et uteri finguntur, intestinum bovinum spongia, lacte, et sanguine madido repletum, ano, vaginæ, intrudendo, ut pro parte propendeat.

§. 53. Polypus narium et uteri, testiculis galli, agni et vituli; aut renibus galli ope spongiæ in naribus, aut vagina firmatis, simulant.

## Theses defendendae.

---

1. Morbos simulatos internos in veros transire posse nec rationi nec experientiae repugnat.
  2. In morbis simulatis remedia violenta adhibere cautum esto.
  3. Medicus plus antiphlogisticis et derivantibus, quam stimulantibus praestat remediis.
  4. Nervus sympathicus maximus nullatenus pro effluviis partis centralis habendus.
  5. Tumor in hydropse sacci lacrymalis non hydropticus est.
  6. Divisionem morborum in acutos et chronicos non temporis duratio determinat.
  7. Affinitas chemica una solum est.
  8. Eadem indicatio, partum caesareum praesynchondrotomia commendat.
  9. Ejusdem remedii saepe effectus habetur contrarius.
  10. Evolutae syphilidis unica salus — hydrargyrum.
  11. Medici summa virtus, humanitas.
  12. Metastasio doctrina summi momenti.
-

# Theses de medicina

1. De ratione et officio medici in rebus humanis.
2. De ratione et officio medici in rebus animalibus.
3. De ratione et officio medici in rebus vegetabilibus.
4. De ratione et officio medici in rebus mineralibus.
5. De ratione et officio medici in rebus astris et meteoris.
6. De ratione et officio medici in rebus temporibus et locis.
7. De ratione et officio medici in rebus morbis et symptomatibus.
8. De ratione et officio medici in rebus causis et effectibus.
9. De ratione et officio medici in rebus curis et remediis.
10. De ratione et officio medici in rebus prognosi et fine.